

tegerrimi viri, Domini Erhardi Hilleri, suæ Regiæ Maiestati, à  
seruitijs, uti reliquarum scientiarum, sic astronomicarum ob-  
servationum cultoris eximij, typis publicis mandatum fuit.  
Quod Ego opusculum, Illustrissime Comes, tametsi tua nomi-  
nis amplitudine, generis splendore, virtutum heroicarum or-  
namentis, meritorum pondere ac sublimitate, longè sit inferi-  
us; tamen ut cœleste ac æthereum, tuæ cœlesti ac diuinæ ani-  
mi fortitudini, prudentiæ, solertiæ, consilio; &, quod caput  
est, candidæ ac integerrimæ, in patriam voluntati inscribere, ac  
sub tuo amplissimo longeque Illustrissimo nomine, in lucem  
prodire volui: munusculum quidem paruum & exiguum, fa-  
teor; si ex sua mole; omninò nihil, si in comparatione tui  
splendoris æstimetur; magnum vero, si materia qua de agit,  
hoc est cœlum ipsum, ipsiusq; admirandi in his inferioribus  
effectus spectentur, maius adhuc, si offerentis animus attenda-  
tur, qui instar cœli, aut potius Astrolabij, quod rotundum est  
ac infinitum, omnem animi affectum erga te, Illustrissime Co-  
mes complectens, eundem tibi, una cum hoc opusculo, deuo-  
tissimè offert, consecrat ac æternùm deuouet. Accipe igitur  
has, illustrissimo tuo nomini, heroicæq; virtuti oblatas à me  
primitias patrone candidissime, dum aliud, longè maius, tan-  
toque splendore dignius tibi adornare munus cogito. Deus o-  
ptimus maximus, interea te felicibus astris, ad immensum Rei-  
publicæ nostræ decus ac firmamentum, una cum suauissima  
pientissimaq; coniuge, sobole, totaq; generis stirpe, quam diu-  
tissime superstitem tueatur incolumemq; conseruet.

Tuæ illust. D.

Observantissimus ac deuotissimus cliens.

Guilielmus Rechperger Philosophiæ  
ac Medicinæ Doctor, & in Archigy-  
mnasio Viennensi primarius Mathe-  
matum Professor Cæsarius & Regius.

)( 3 Ad